

V 882

7

DISSERTATIO JURIDICA

QUA

IVSTINIANVS
IN DEFINIENDO JURE NAT-
VRALI ET DISTINGVENDIS JV-
RIBVS SVMMVS ARTIFEX

PRAESIDE

GOTTLIEB STVRMIO

PH. ET J. V. D.

VITEMBERGAE IN AVDITORIO JCTORVM

HORIS CONSVETIS

D. XIIIX, DECEMBR. 1733

SISTITVR

4. 88/11

A

RESPONDENTE

Stadtarchiv
Rathenow

JO. CHRISTOPHORO HAEHNELIO

DRESDENSI.

VITEMBERGAE

IN OFFICINA SCHLOMACHIANA.

10



DISERTATIO JURIDICA

QUA

IVSTINIANNVS

IN DEFINIENDO IURE NA

TURALI ET DISTINGVENDO

RIBVS SVMMVS ARTIBVS

P. R. N. E. I. D. E.

GOTTLIEB STURMIO

IN THEO

VITENBERGA IN ACADEMIA IURIS

HORIS CONSPECTVS

D. M. X. DEC. M. D. CC. XXXIII

DISERTIO

ASSONANTIA

JO. CHRISTOPHORO HARTHELIO

PRESES

VITENBERGA

IN OFFICINA SCHOMACHERIANA



V I R O
PERILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
GOTTLOB
HIERONYMO
DE LEIPZIGER
DYNASTÆ INHEYDA &c.
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET PRIN
CIP I EL, SAX. A CONSILIIS SANCTIORIBVS
ET, RELIQA

VIRI
POTENTISSIMO POTONIAVM RREGI ET BRIT
CIPRIS SAXA A CONSULIBUS SANCITISSIMIS
DE LEIPZIGER
HIERONYMO
GOTTLOB
DOMINO
DYNASTIE IN WYD &
FERRAVSTRI AC EXCELLISSIMO



V I R O
EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO DO-
CTISSIMOQVE

DOMINO
D. IOH. PAVLO
SCHRÆTERO

AVGVSTISSIMO SARMATARVM REGI ET PRIN-
CIP I EL. SAX.

IVDICII PROVOCATIONVM ASSESSORI, ET A CONSILIIS
ECCLESIASTICIS, ITEMQVE SENATVS DRESDENSIS
SYNDICO LONGE MERITISSIMO &c. &c.

MAECENATIBVS LITERATI ORDINIS INDVL-
GENTISSIMIS
DOMINIS SVIS AC PATRONIS
MAXIMIS

DISSERTATIONEM HANC SVBMISSA

DAT, DEDICAT, CONSECRAT

observantissimus Respondens

VIRI SVMMI,
DOMINI MAECENATES AC
PATRONI INDVLGEN-
TISSIMI

ET si pudoris limites transire vi-
deor, quod arduas Vestras
atque longe gravissimas Rei-
publ. causa susceptas occupationes,
incultis literis interpellare audeam;
Spe tamen erigor certissima, fore, ut
ea, qua soletis gratia ac humanitate,
in optimam partem accipiatis, si dis-
sertatio-

sertationem hanc Vestris Excellentis-
simis Nominibus consecrem. Con-
stat enim VOS VIRI EXCELLEN-
TISSIMI, rerum Doctrina, usu atque
exercitatione, longe gravissima con-
firmatos esse, eaque de causa Vos ae-
quissimos fore Judices, reos, si qua
in re a veritate mens aberraverit.
quod si hujus voti, ut certe confido,
compos fio, persancte spondeo, me
pro incolumitate atque Vestra salute
ad DEVM O. M. precibus instare, ut
in posterum Republica saluberrimis
Vestris Consiliis munita atque tecta,
nunquam non floreat, vigeat atque
salva sit.

Quod

Quod reliquum est, ut me Vestrae benevolentiae atque favori commendatum habeatis, vehementer etiam atque etiam rogo atque contendo

PERILLVSTRIVM ATQVE EXCELLENTISSIMORVM VESTRORVM NOMINVM

VITEBERGAE SAXONVM
D. XXI. DECEMBR.
MDCCXXXIII.

Perpetuus admirator & Observatissimus cliens.
JOH. CHRISTOPH. HAEHNELIVS

Quod respicitur est, in his
sive benevolentiae acque favori com-
mendatum habeatis, respicietis et
sui acque etiam rogo, acque
tendo

PERILLISSIMUM ATQUE EX
CELLENTISSIMORVM VESTRO
RVM NOMINVM

RECEPIT
D. XXI. DECEMBER
MDCLXXII

Testibus subscrisis et
Ioh. Christiano Lippertus





DISSERTATIONIS
JUSTINIANVM IN DEFINIENDO
JURE NATVRALI ET DISTINGVEN-
DIS JURIBVS SVMMVM ARTIFI-
CEM SISTENTIS

§. I.



Justinianum, dum summum, in definiendo Jure Naturali & distinguendis juribus, artificem sisto, necessum erit, ut, quonam in ordine Philosophorum sit laudandus, expendatur. Scimus enim plerosque (a) Jctorum antiquorum Stoicos fuisse, ex quibus Imperator noster Saratissimus

A 2

a) Omnes Jctos antiquos stoicos fuisse satis audacter

tiffimus sua excerptis: exinde tamen firmissimo non concluditur nexu, eum Stoicorum castra omni ex parte secutum esse. Mens nostra potius eo redit in hac Dissertatione, quod Justinianus, licet JCtorum, stoam frequentantium, fragmenta nobis dederit, omnia iusto ordine atque distincte proposuerit, ut plane ubivis eclecticorum mentem attigerit; id quod ut demonstretur uberius, *tit. 7. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* exempli loco proposuimus; ita ut hujus tituli simul daretur commentatio succincta.

§. II.

Noluit Justinianus in definiendo Jure Naturali prætermittere antiquorum Philosophorum æque ac JCtorum controversias circa quæstionem: quidnam sit Jus Naturale, ortas. Didicerant sc. stoici a Præceptore suo Zenone; *convenienter nature vivendum esse*, sed quid sibi velit hocce dictum, aut si mavis principium valde disceptabatur, ita ut adversis quasi pugnarent frontibus, dum quæstio, quænam, sit natura, cui convenienter vivendum, dubia haud pauca moveret.

§. III.

adstruitur, scimus enim Calistratum non sine ratione ad Platonicos referri a nonnullis ob *L. ult. ff. de Nundinis* Tryphonium etiam ad hanc classem accensere volunt ob *L. 39. ff. de poenis*, Julianum peripateticum fuisse *L. 36. ff. de solut.*: satis superque evincit. Alfenum epicureum sinit *L. 76. ff. de Judicis*, plures recensere sciens prætermitto addatur interim *L. 2. ff. de O. 7.*

§. III.

Distinguebant stoici inter naturam communem & propriam, illam (a) vocabant Deum hanc vero rectam rationem Hinc eveniebat, ut Zenonis dictum de natura communi interpretarentur alii, alii vero de propria. Unde & enatum est Jus naturæ cum brutis commune & hominibus proprium. Cleanthes sane communem naturam & jus naturæ cum brutis commune defendebat, Chrysippus vero propriam naturam, & Jus naturæ ex recta patetens ratione laudabat (b).

§. IV.

- a) Stoici Deo varia tribuere solebant nomina sc. Naturæ, Dei Mundi, Ignis, Spiritus, Animi, Mentis, Rationis vid. *Lips. Physiolog. Stoica L. 1. Diff. 5. 6. & 7. & Jac. Thomaf. Diff. Stoicus Deus forma mundi informans, quæ XIV. est inter junctim editas cum Stoica mundi exustione.*
- b) Hujus controversiæ fontes legimus apud *Diogen. Laert.* in Zenon. & in Chrysippo, & apud *Cicer. de Finibus L. V. & in Traët. de L. L. adde & Plutarch. lib. de amore Proles.* Quod autem ea, quæ in textu nostro prolata sunt, veritate sua radiant, sequentibus demonstro. Ita enim *Laertius: Naturam cui conformiter oportet vivere, &c. Cleanthes solam communem suscepit, non autem particularem.* Communem autem istam naturam Deum esse pluribus edocet *Lips. Physiolog. Stoica L. 1. Diff. VI.* & hanc naturam communem etiam *LEGEM NATVRAE* nominarunt, ita sc. *Seneca de vita beata c. 15. Sapiens quicquid evenerit, sciet LEGEM ESSE NATVRAE, habeat in animo illud verus præceptum, Deum sequi.* Chrysippi vero mens adparet etiam ex supra citato loco *Laertii, ita soloquitur: Naturam, cui conformiter oportet vivere, Chrysippus exaudit & communem & proprie humanam καὶ ἰδίως τῆν ἀνθρώπινον & recte.*

§. IV.

Quodsi igitur omnia in summam contrahimus, videmus, quod Cleanthis Jus Naturæ s. lex Naturalis, nil nisi ordinem rerum omnium, a Deo in creationis actu inditum, significet, quem hodierni Philosophi cujusvis rei naturam & indolem nominant, vicujus quælibet res ad certum finem est creata, & tantum habet virium, ut eum adipiscatur. Ita Germani, si vident omnia hyemem contristari, dicunt: die Ordnung der Natur bringt's so mit sich. Et hæc vera est lex Cleanthis. a) Chryssippus vero dictamen potius rectæ rationis inculcat, tanquam veram legem naturæ f. mora-

Cicero de Offic. L. I. Sic est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus, & ea tamen conservata propriam sequamur. Et ex Senecæ mente Epist. 41. is qui secundum suam naturam vivit, facit id quod ratio exigit & Ep. 76. Ratio recta & consummata felicitatem hominis implevit.

a) Scimus etenim stoicos habuisse duo principia, Deum sc. & Mundum vid. Senec. Ep. 65., quorum unum erat agens alterum patiens; & neutrum sine altero aliquid efficiebat uti late ostendit Lysf. Physiolog. stoic. L. I. dif. 4. segg. Hinc recte adstruxi, quod naturæ communis lex sit rerum ordo a principio agente patienti impressus. Nolumus ea ingeminare, quæ satis perspicue habet Seneca §. 3. not. b. citatus in vita beat. c. 15. ita tamen pergit c. 1. *Quicquid ex universi constitutione patiendum est, magno excipitur animo. Ad hoc sacramentum adapti sumus, ferre mortalia nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus; Deo parere libertas est.*

f. moralem, ex qua patescit, quid malum & fugiendum sit, & quidnam bonum & adpetendum b)

§. V.

Hos suos antesignanos & JCTi nostri secuti sunt, & prout cujusvis secta ferebat, de Jure Naturæ sentiebant. Cleanthis igitur jus naturæ (§. 3. & 4.) arripuit Vlpianus *L. 1. §. 3. ff. de J. & J. (a)* Chryssippi vero, Gajus in *L. 9. cod.* adprehendit mentem.

§. VI.

Justinianus ne aliquid in primis L. L. cunabulis prætermitteret, quod ad uberiorem juris interpretationem faciat, utramque in *tit. J. de J. N. G. & C.* opinionem antiquorum & Philosophorum & JCTorum jungit. Vlpiani & cum hac Cleanthis opinionem profert in *pr. J. de J. Naturali G. & Civ.* ubi Jus Naturæ definit

b) Ita enim Seneca *Ep. 66.* *Quid autem est Ratio? Naturæ imitatio. quid est summum bonum. Ex naturæ voluntate se gereve.* Et *Ep. 70.* *In homine optimum quid est? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est, & paulo post: Ratio restituta consummata felicitatem hominis implevit. Et porro: Cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit.* Observandum etiam est, quod naturam propriam crediderint stoici particulam esse communis, hinc utramque simul sæpenumero junxerunt *vid. Lipsius in loc. citat. passim.*

a) Gloriat. se. de JCTis, Vlpianus in *cit. L. 1. §. 1.* quod

nit, quod natura omnia animalia docuit, hoc est, quod natura, i. e. Deus, in prima creatione cuius rei indidit, seu ut paucis me expediam, ordinem & dispositionem rerum. In §. I. vero, eod. tit. definivit, ex Gaii mente atque Chrysippi, Jus Naturæ, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.

§. VII.

Hæc ut clariora fiant evolvamus ipsum principium citatum, ex quo videbimus satis clare ibi præter rerum ordinem nil definiiri. Dicit enim hoc jus non proprium esse generis humani, sed omnium animalium, quæ in coelo, quæ in terra quæ in mari nascuntur. Scimus autem in hisce omnibus præter ordinem naturalem nihil conspicuum esse, eodem enim modo animalia & uniformi pro suo quoque genere nascuntur, nutriuntur, moriuntur, qui naturalis ordo in illis est, addit Justinianus: *Videmus enim cetera quoque animalia istius iuris peritia censeari*; quid igitur videmus in his brutis animantibus, præter ordinem naturalem, quem uniformi actu sequuntur? Leges naturales non videmus, sed in nos animadvertimus. Quicquid igitur omnibus creaturis competit a natura communi (§. 3) est, & necessitatem naturalem atque cuiusvis rei indolem indicat. Nec rem aliter expedit Vlpianus sæpius laudatus, qui in *L. I. §. 4. ff. de Justit. & Jur.* expresse fatetur, quod jus naturæ in §. 3. *cit. leg.* defini-

veram non vero fucatam Philosophiam adfectarent vid.
& quæ habet in *L. I. §. 5. ff. de Extraord. Cognit.*

definitum nil aliud significet, quam illud jus, quod omnibus animalibus competat, & differat a jure gentium, quia hoc hominibus proprium fit. Omnium accuratissime sensum hujus definitionis exposuit celeberrimus Institutionum Paraphrastes, *Theophilus*. Posteaquam sc. dixerat Jus Naturale esse quod natura omnia animalia docuit, ita pergit: *Nec enim usque ad solos homines natura vim suam coangustavit, sed etiam ea, quae in aere sunt, disposuit, & his qui in terra vivunt, formam dedit. Ac ne illa quidem, quae in mari nascuntur, providentiae suae expertia esse passa est.* & paulo post: *Quoniam natura cum singula quaeque animalia videret morte consumi, per matrimonium & ex eo sequentem liberorum procreationem, ac rursus eorum, quae procreata sunt, caritatem, educationemque, & successionem quandam, veluti immortalem, in iis commenta est (ἰνὸν ἀνθρώποισι).* Ex his omnibus colligere licet 1) Naturam h. l. significare Deum, 2) naturale vero Jus, ordinem f. indolem cujusvis rei, a Deo im-
prellam.

§. VIII.

Quare satis ridere non possum commentatores ad pr. 7. de J. N. G. & C., qui in diversa plane abeunt. Lustrabimus quomodo se se torqueant. Prodeat in scenam ante omnes *Gratianus* Decreti compiler, qui ex suo proprio ingenio nobis explicationem dedit C. 7. *Dist. I. sc. jus naturale est commune omnium nationum, eo, quod ubique instinctu natura, non constitutione aliqua babe-*
B
tur;

jur; deinde subnectit exempla Justiniani. Putat sc. Decreti compilerator, quod commune illud Jus Naturale ideo commune sit, quia eo omnes utantur nationes. deinde instinctum naturæ, pro iure habet, tandem instinctum naturalem saltem attribuit nationibus, & excludit bruta. Denique legem naturæ constitutionum titulo insignire non vult. Quæ omnia satis absona sunt nec coherent. Propter Historia Philosophicæ ignorantiam fingit jus commune nationum, quod a J. Gentium distinctum esse vult c. 9. *Diss. I.* Contra rationem jus naturæ & instinctum naturalem pro synonymis habet, & experientia repugnante instinctum naturalem hominibus saltem vindicat, & brutis abdicat. Quæ omnia partim ex antecedentibus dictis & nunc dicendis clarius patescunt.

§. IX.

Nec calculo nostro digni sunt, qui in definitione sæpius enarrata, Instinctum naturalem invenire credunt; quo non solum antea laudatus Gratianus, sed & quam plurimi commentatorum pertinet. Mirari satis non possum, quod & *Heringius in stoica Veterum Romanorum Jurisprudencia Obs. 3.* crediderit, hanc definitionem exponere instinctum naturalem. Instinctus enim naturalis solis animatis creaturis competit, ordo rerum vero & inanimatis. Communis natura, quam respexerunt Jcti in hac definitione, (§. 7.) se se exerit ad omnes creaturas, uti & Theophilus supra (§. 7.) laudatus

tus satis innuit. Qui hunc instinctum inculcant, seducti sunt ab exemplis a Justiniano allegatis. Hinc nec Galvano in *Lib. de Usufructu cap. 5.* adsentior, qui putat, ideo animantibus jus attribuisse Stoicos, quia ratione sint prædita, adeoque jura illis sancira. Sed quid opus est ad hæc commenta confugere, quum hæc res accuratius expediri possit? quis stoicorum unquam dixit brutis L.L. esse latas ob eorum rationem? Omnes, qui jus brutorum explicuere non id ex natura brutorum, sed ex natura communi & causa efficiente demonstrarunt (§. 4. seqq.) Multus quidem est Schilt. in *Manuductione Philosoph. moralis c. 6. p. 227.* ut Galvani opinionem defendat & adplicet, sed quia tota ratiocinatio Schilteri in *l. c.* pro fundamento habet moralitatem obiectivam, & ex Galvani præiudiciis orta est, uberiore non indiget excussione. Nec rem extricant, sed majoribus modis implicant, qui in *diſt. pr. 7. de J. N. G. & C.* jus naturæ improprie tale definiri sedulo inculcant. Nam obscurum per æque obscurum exponere conantur. Semper enim quæstio remanet, quidnam sit illud jus naturæ improprie dictum? Nec rem acu tergeront, qui in *cit. princ. τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν* invenerunt. Quanquam hæc prima naturæ cum stoicorum Philosophia conveniunt *vid. Gell. Noct. Att. L. XII, c. 5.* tamen in hoc pr. non adparent. Exempla quidem Justiniani facile quadrant sed 1) nullo a stoico ista prima Jus naturæ vocantur 2) conveniunt cum instinctu naturæ & ideo 3) ad animantia saltim, neutiquam vero ad alias inanimatas creaturas pertinent, quo tamen, uti sæpius

B 2

monitum

monitum, hæc definitio, de qua disputamus, etiam pertinet. Nec 4) jus hoc commune cum brutis, commune vocatur ab objecto, sed a causa efficiente, igitur 5) ex ea etiam ad ductum stoicorum, explicandum est, 6) Justiniani exempla non totum jus commune exhauriunt, sed saltim aliquam partem.

§. X.

Sed hæc sufficiant de communi isto jure Naturali nunc ad §. I. nos conferimus *J. de J. N. G. & C.* Justinianus satis perspicuus, quod illud commune jus parum utilitatis adferat in moralibus, & in decidendis causis adhiberi non possit, saltim historice illud enarrat, illudque Physicis, qui in cujusvis rei naturam inquireunt, reliquit, & progreditur in §. I. ad Jus Naturæ hominibus proprium, idque ubivis in controversiis dubiis adplicat. Vocatur Jus gentium, quia omnes gentes i. e. homines eo utuntur.

§. XI.

In toto nostro jure, Gentium jus & naturale proprium, idem significant. Nec crediderunt antiquiores quod jus naturæ hominum, & jus Gentium diversa sint, sed promiscue pro uno eodemque jure habuerunt Nam idem jus quod Justinianus definiverat §. I. per jus gentium, in §. XI. eod. jus naturale vocat, eandemque J. Gentium definitionem adplicat. Aperius rem exponit §. XI. *J. de R. D.* ubi sine hallucinatione sequentia effert. *Quarundam rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod (sicut diximus) adpellatur jus gentium,*
&

& paullo post : *Palam est autem, vetustius esse jus naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit.* Quid accuratius, quid elegantius ab Imperatore dici potuisset. Vocarunt autem antiquiores hoc jus naturale, jus gentium, ut distinguerent illud a jure naturali communi, de quo satis in antecedentibus egimus, quia hoc omnium creaturarum commune jus erat, illud vero proprie hominibus saltim competeret, gentes autem & homines eodem sensu veniunt, id quod patet ex *b. §. 1. 7.* Et ipse Theophilus expresse dicit, quod hoc jus gentium etiam naturale vocetur, additque; Jus gentium est, quod ad omnes homines, aut eos saltim, qui ratione volunt vivere, extenditur. Hæc si recte perpendissent interpretes, non finxissent jus Gentium, distinctum a Jure Naturali hominibus proprium. Nec inter se conveniunt, an confictum istud jus gentium divinum sit an humanum? Eclectici noviores recte hoc jus gentium iterum eliminarunt, & cum jure naturali idem esse statuerut. Et si vel maxime jus Gentium separatum concedatur, proprie tamen non pro lege, neque pro universalis haberi possit, sed sint saltim certi mores hominum, quibus, prout lubitum est, utuntur, inprimis circa legatos. Nam adeo varium hoc jus hique mores sunt, ut ne quidem in una eademque aula uniformiter exerçantur circa legatos, nedum in diversis aulis. Ponamus saltim aulam Cæsaream, ubi longe alii mores observantur in honoris v. g. exhibitione erga legatum Turcicum, quam erga legatum Gallicum & Hispanicum,

cum, Immo ab his omnibus longe discedit honor, quem accipit nuntius Pontificis.

§. XII.

His expositis satis apparet Imperatorem nostrum in §. I. J. cit. tit. definitivisse jus naturale hominum ex mente Chrysippi. Hic summæ stoicæ sapientiæ Philosophus eam saltem legem esse volebat, quæ regula sit justorum & injustorum & præceptrix faciendorum, prohibetrix autem non faciendorum, uti graphice ex hujus philosophi mente rem explicat *Marcianus* in *L. 2. ff. de LL.* Rectissime Chrysippus sentit de lege. Nam omnis lex est norma a superioribus subditis data, ut actiones ad hujus præscriptum componant. Quia igitur jus naturæ etiam lex est, a superiore ut sit prolatum necesse est, obligans homines, tanquam Deo subiectos, ad id quod rectum est. Et quia ex recta patescit ratione, hinc Juri cum Chrysippo statuebant Legem Naturalem esse quam naturalis ratio inter omnes homines constituit *L. 9. ff. de J. & J.* & ita philosophatur etiam Imperator in §. 1. quem jam exponimus. Hoc namque jus naturæ quod recta dicitur ratio iustorum injustorumque regula est præceptrix faciendorum prohibetrix non faciendorum eique plane convenit definitio legis a Chrysippo data.

§. XIII.

Sed inquiet aliquis, Justinianus satis inconstans est in definiendo Jure Naturali; in §. sc. 2. dicit,

cit, quod Jus Gentium usu exigente & humanis necessitatibus gentes humanæ sibi constituerint. Idem sc. jus quod ex recta ratione provenire edixerat in §. 1. nunc ab hominibus adinventum esse in b. §. edocet. Sed salva res est. Et exempla & totus *spbi* nexus rem planam reddit. Scimus namque duplex jus naturæ existere, unum absolutum alterum hypotheticum. Absolutum est quod citra respectum ad certum statum vel conditionem personæ vel rei, indiscriminatim iustum ab injusto discernit, consideratque dominem ut hominem extra respectum ad status adventitios, pacta & contractus. Jus vero hypotheticum ex recta quidem ratione provenit, præsupponit tamen vel pacta, vel status adventitios personæ, vel de novo rebus impostas condiciones v. g. rerum dominium, pretia &c. Justinianus summus artifex in §. 1. jus naturæ absolutum definit, quod præter dictamen rectæ rationis nil amplius desiderat, in §. 2. vero enarrat jus naturale hypotheticum, quod præter rationis lumen desiderat instituta & status hominum extrinsece obvenientes, sic: deum cole, vitam tuam conserva, socialiter vive sunt LL. ad Jus absolutum pertinentes, intelligi possunt sine rerum & personarum conditione. Contra, ne furtum committas, est lex hypothetica, dominia rerum præsupponens, ne servum injuste occidas, præsupponit statum herilem, pacta sunt servanda, est lex sine pactis non subsistens, & sic porro.

§. XIV.

Quodsi igitur totum §. 2. in succum & sanguinem

nem convertimus, facile perspicimus, quod in eo definitum Jus Gentium, nil nisi jus naturale hypotheticum, significet. Vocat jus Gentium, quia ad genus humanum saltem pertinet, (§. XI.) quod autem excogitatum sit ob necessitates humanas, hunc sensum habet, ut status & conditiones rerum ac personarum homines adinvenerint, neutiquam vero ac si ipsæ LL. hypotheticæ ab ipsis adinventæ sint, sed necessitas humana excogitarit saltem certos status adventitios, pretia rerum, pacta, ad quæ omnia deinde recta ratio LL. s. jus, supeditat.

§. XV.

Et hæc sua radiant luce, si consideras ipsum Justiniani textum. Dicit enim sacratissimus Imperator, post bella servitutes esse secutos, servitus autem est status adventitius, pergit, hoc jure omnes pene contractus introducti sunt. Ergo homines hosce saltem introduxerunt status, ratio prodidit leges. Nec obstat, quod Justinianus addit, servitutes juri naturali esse contrarias, hoc etenim jure omnes homines liberi nati sunt. Ergo, concludet aliquis, Jus naturale opponit J. Gentium §. 2. *J. de J. N. G. & C.* ergo sunt diversa. Sed hæc me non dimovent, scimus etenim juris vocabulum multis significatibus occurrere, sumitur etiam pro facultate morali aliquid agendi vel habendi, & in hoc sensu dicitur, servitutes esse contra jus naturale, hoc est, contra facultatem moralem wieder die natürliche Frey

Freiheit neuntquam vero contra LL. naturales, quippe quæ, si hypotheticæ sunt, eam servitutem inculant.

§. XVI.

Hæc si ita exponuntur, ordine naturali, methodoque facillima, cohærent. Longe aliter has definitiones explicant Commentatores & varia tricant, vix extricanda. Distingunt sc. Jus Gentium in primævum & secundarium, ut demonstrent conciliationem inter §. I. & 2. §. de quibus disputamus. Sed varia observanda hic veniunt 1) quod inconcinne jus dividatur in primævum & secundarium, cum eodem ferme tempore hæc jura sint orta, ut adeo hi termini non quadrent. Cum Eva statim jus secundarium obtinuit, sc. tunc observanda erant LL. inter Conjuges, v. g. mutuuum adiutorium, amor conjugalis &c. Deinde enatis liberis, Adamus erat & familiæ Dominus, & pater, ex hisce statibus multa iterum promanabant, oriebantur inter hos fratres bella, pacta &c. quæ omnia ad ius Gentium secundarium pertinent, & tamen cum genere humano originem sumserunt 2) Inconcinne jus gentium vocatur, quod ante gentes jam floruit; dicunt: Deum cole, est juris gentium primævi, absone! Adamus ante Evam creatam Deum coluit, ergo Adam gentium nomine venit! 3) quicquid ad jus gentium sive primævum sive secundarium refertur, juris naturalis est, si modo adhibeatur distinctio supra (§. 13.) proposta.

C

§. XVII.

§. XVI.

Mittamus nunc Justinianum, Juris Naturalis definitorem artificiosum & progrediamur ad alia *cit. titur.* Quæ in §. 3. 4. & 5. habet, satis superque excussa sunt in Dissertatione de *Distinctione Juris scripti & non scripti antiquitati restituta*, hinc expendamus §. 6. *eod.* Occurrit in *cit.* §. in primis lex regia, de qua, etsi haud pauca jam dederim in allegata Diss., tamen quædam monenda restant. Quæritur sc. 1) quid sit 2) quomodo sit lata 3) an ore an vero scriptis sit prolata? 4) tollendæ sunt ejus variæ significationes. Suppeditat ipse Justinianus definitionem, quæ rem apprimè explicat, sed clariora prostant hinc inde in legibus. Si evolvimus L. 2. §. 11. ff. de O. F. ibi hæc habentur. *Igitur constituto principe datum est ei jus, ut quod constituisset ratum esset.* Videmus inde summam imperii per hanc legem innui. Quare & lex imperii vocatur in L. 3. C. de testamentis, & Majestas imperialis in L. f. in fine C. de LL. Et hæc omnia confirmat Imperator in Institutionibus dum legem regiam esse ait, vi cujus populus in Imperatorem omne imperium suum & potestatem transtulerit. Si hæc omnia inter se confero, facile colligo, quod lex regia nulla alia sit, quam translatio imperii atque Majestatis in Imperatorem s. summum Imperantem a S. P. Q. R. facta.

§. XVIII.

Quando hæc lex sit lata inter se non conveniunt interpretes, alii ad imperatorem alii ad priorum Regum tempora confugiunt, & priores iterum in diversa omnia

omnia discedunt. Me quidem iudice hæc disceptatio facile componi potest. Ex antea dictis vidimus legem istam nil nisi summitatem Imperii indigitare. Nunc autem summitatem istam jam reges priores habuere, quis igitur legem illis abjudicabit regiam? Non disputamus de nomine, de hujus enim origine solliciti nunc non sumus, sed de ipsa re. Volunt hanc legem Augustam vocari ex *L. un. §. penult. C. de Caducis*, sed hæc lex de materia substrata est intelligenda, loquitur de legislatore suo, qui ad Augustos omnino refertur. Non in genere legem Regiam Augustam vocat, sed ratione sui legislatoris. Accedit, quod Augustus post tanta temporum spatia primus iterum fuerit, qui summitatem in S. P. Q. R. solus adquisiverit, ergo ab hoc primo restauratore, rectissime nomen indepta est lex regia, ut Augusta nominaretur.

§. XIX.

Altioris indaginis res est, an hæc lex Regia, formam SCti habuerit, adeoque solenniter scripta fuerit? Sunt haud pauci qui more SCtorum hanc legem in scripturam redactam fuisse auctumant, provocant ad monumentum in marmoribus Capitolinis apud Gruterum existens, cujus tenorem exhibet *Ill. Heinecc. in antiqu. Rom. L. 1. tit. 2. §. ult.* sed quia hæc de re mentem satis exposui meam in *disp. de dist. Juris scripti et non scripti antiquitati restituta*, nolo hæc omnia sub incudem revocare. Hoc saltem prætermittendum non est, quod hæc lex regia ad non scripta jura procul dubio sit referenda. Rem clare & perspicue proponam 1) Illos, qui

qui SCra laudant, & ad marmora iam laudata provocant, hoc incommodum premit, ut probare cogantur, qua ratione factum sit, ut Senatus R. per SCra imperium, quod non habuit, ad Imperatores transferre poterit. Scimus sc. imperium penes totum populum R. fuisse & Senatum Romanorum Democraticum, neutquam vero Aristocraticum, fuisse, qui autem fieri potest, ut aliquis id, quod non habet, alteri concedat, 2) scriptores antiquissimi, iique omni exceptione majores, statuunt, imperium in imperatores translatum esse a toto populo R. per acclamationes precibus junctas. Tacitus L. I. *Annal. c. 1. §. 2.* inquit, quod *nemine adversante* Augustus ad hoc fastigium evectus sit, cum populum annona, milites donis, cunctos otii dulcedine pellexerit. Putat sc. Tacitus, Augustum accepisse imperium non expresso Pop. Rom. consensu, sed tacito, interim tamen hac in re meus est, quod neque scriptam legem statuat, nec a Senatu R. imperium translatum esse concedat, sed quod cunctis quasi consentientibus, posteaquam illecti erant, solum conscenderit. Aperius rem enarrat *Dio Cassius L. 53.* Hic, posteaquam artes politicas Augusti exposuit, & qua ratione is in sermone solenniter habito, fessus quasi imperii laboribus de reddendo impero cogitaret, populi favorem sibi conciliaverit, ita pergit. *Dum haec Caesar petit, conclamant omnes Principe deinceps opus esse, & qua eo spectant congeriebant omnia, quousque eum imperare coegerunt.* De Tiberio æqualia recenset *Sueton. in ejus vita c. 24.* & de Caligula idem monet *in ejus vita c. 24.* Quis non videt ex his locis

cis neque senatum, neque Sctum imperatorem constitu-
 isse, sed electionem Popul. Rom. & Imperatoris acce-
 prationem, & 3) quis nescit jam prioribus temporibus
 Imperatores a militia esse per, acclamationem atque ele-
 ctionem, ad hos honores promotos, adde quæ in *Diff. de*
Jul. Cesare dicta sunt. Ex quibus omnibus patefcunt,
 quæ demonstranda sumfi. Denique observandum est,
 quod vocabulum Legis, in lege regia, non per normam
 fit interpretandum, sed pro facultate morali agendi vel
 habendi, seu de eo, quod vi Majestatis imperatoriæ a P.
 R. concessa, exercere potest Cæsar.

§. XX.

Supereft, ut tollamus ambiguitates circa nomen
 harum LL. occurrentes. Lex Regia de qua adhuc
 disputavimus indicat, sicuti patet ex præcedentibus, Ma-
 jestatem per populum in Imperatorem translatam.
 Cum hac lege regia confundendæ non sunt LL. regum,
 quæ sunt jura a primis regibus sancita; de quibus vul-
 gus DD. sibi persuasit, quod cum Tarquinio superbo
 plane sint ejectæ. Contrarium nos edocet *L. 2. ff. de*
mortuo inferendo & *Dionys. Halicarn. L. 2.* qui sequentia
 memoriæ reliquit: Enarrat sc. qua ratione Romulus pa-
 tri permiserit filios vendere, & quidem ita ut horum
 conditio longe deterior fuerit servorum, hi enim semel
 manumiffi liberi erant, sed filius post tertiam demum
 venditionem, ex patris potestate exibat, deinde ita per-
 git. *Hanc legem prisca illi reges sive scriptam sive non*



scriptam a) (neque enim certi quicquam possum adferre) omnium præstantissimam ducentes observarunt. Sed sublato regno, cum primum Pop. R. visum est, omnes patrios mores & leges, una cum ascititiis in foro palam omnibus civibus proponere, ne jus publicum cum ipso magistratum dominatu intercederet. Decemviri, quibus a populo potestas data fuerat colligendarum & conscribendarum LL., eam inter ceteras retulerunt, & extat in quarta illarum XII. tabb. que in foro posita ita vocantur. Quod autem non decemviri, qui trecentis post annis LL. conscribendarum causa creati fuerant, primi in rempubl. Rom. hanc legem introduxerint, sed multo ante latam & receptam tollere ausi non fuerint, cum ex multis aliis colligimus, tum vero precipue ex Numa Pompili LL. qui post Romulum regnavit, in quibus etiam ita scriptum est. „Si pater permiserit filio uxorem ducere, quæ ex LL. particeps sit & sacrorum & honorum, patri posthac nullum jus esto vendendi filium,„ Quod non scripsisset, nisi per reliquas omnes superiores leges patri vendere filium licuisset. Ex hisce satis superque patet, quod cum regibus ejectis eorum leges non in totum abrogatæ sint.

§. XXI.

Vi hujus legis regię Imperatores Constitutiones suas

a) Paucis saltem ex h. l. observo, quod opinionem suffulciat meam, quæ plena manu tradita est in sæpius cit. Diss. de distinct. juris scripti & non scripti antiquitate restituta, sc. quod non scriptum jus, solam consuetudinem non comprehendat, sed omnia jura, quæ solenniter in scripturam non erant redacta, quæ pluribus nunc persequi nil attinet.

suas promulgabant. Abstinebant Imperatores a regis nomine, quia hoc maxime odiosum erat, nec Constitutiones appellabant LL. ne in se concitarent Populum Romanum, quippe qui solus LL. stricte dictas promulgabat. Has suas Constitutiones distinguebant in generales & speciales. De generalibus ut multa proferam, necessum non est, quia hæc res lippis & tonsoribus nota est. Singulares vocantur etiam privilegia; si accurate procedere cupimus, Privilegia a Juris beneficiis valde discrepant. Juris beneficia sunt LL. in corpore Juris extantes, *que ad damna evitanda media suppeditant*, quo pertinet beneficium inventarii, S^Cti Vellejani, Macedoniani. Hæc in generalia & specialia distinguimus, illa ejusmodi media omnibus hominibus dant, hæc vero certo statui vel hominum generi. Privilegia vero stricte dicta sunt, quæ in corpore juris non prostant, sed ex singulari Principis (quo nomine omnes territorii dominos indicamus) concessione l. rescripto adparent. Quæ tamen vocum diversitas, ne quidem in LL. R. nedum apud Dd. observatur *Ill. Heinicc. Antiqu. Rom. L. 1. Tit. 2. §. 6.* Justinianus in §. 6. tria privilegiorum genera exponit 1) Privilegium strictissime dictum, ubi alicui ob meritum aliquid indulget 2) pænæ ordinaria gravioris irrogationem 3) adgratiationem. Circa primam speciem multa iterum monent Dd., unde scilicet patescat, an privilegium concessum reale an personale sit? & vulgo credunt, quod onerosa sint realia, lucratoria vero personalia, sed hæc vera non esse vel honores, oneroso titulo acquisiti, probant, qui cum persona acquirentis, licet onerosè adepti, expirant. Rectius igitur ex conceden-

cedentis intentione & usu vulgari æstimandæ hæ res sunt. Deinde quæritur an privilegia concedentis voluntate revocari possint? Alii simpliciter revocationem concedunt, ob dominium supremum, alii distinguunt & revocationem in lucrosis neutiquam vero in onerosis permittunt. Neutri recte. Dominium enim supremum non exerceri potest, nisi salus Reipubl. exposcat. Princeps ideo in republ. est constitutus, ut & singulorum & universorum salutem promoveat, ita tamen, ut si universorum aliter conservari non possit, singulorum cedat, & si ita Princeps procedit, dicitur exercere Dominium eminens. Igitur pro lubitu revocare singulorum privilegia non potest, nisi id exposcat salus universorum. Qui saltim lucrosorum revocationem laudant onerosorum improbant in eo errant, quasi pacta Princeps possit rescindere. Nam privilegia lucroso titulo acquisita, etiam per pacta fiunt, benevolentia nimirum Principis ea offert, et alter acceptat, hinc adest duorum in idem placitum consensus, ergo et pactum, quod unius dissensu revocari nullo jure potest. Quod si autem necessitas et Reipubl. salus revocationem suadet, supervacaneæ distinctio hæc adhibetur. Quare hæc quæstio ita erit decidenda. Aut revocabiliter s. ad beneplacitum data sunt aut non; si illud, omni tempore revocari possunt; ita enim ab initio consenserunt, ut unius dissensus sufficiat, si vero ista clausula addita non est, etiam revocari non possunt ob antea dicta, nisi salus Reipubl. revocationem urgeat. Tandem quæstio suboritur, an successor teneatur præstare privilegia antecessoris? Sermo sc. est de successore singulari, neutiquam vero

vero de herede. Respondent utplurimum negando, quia successor non praesentet defunctum, sed proprio suo jure rem acquisiverit, inde nec ad pacta & facta antecessoris praestanda adigi possit. Pessime! Nam in ejusmodi causis decidendis ad juris civilis argumentationes recurrendum non est. Ego affirmo quod successor singularis ad privilegia antecessorum praestanda simpliciter obstrictus sit, & quod privilegiorum confirmatio non tam necessitatis quam prudentiae sit. Rem ita expedio. Princeps, ne quidem per rescriptum, cuiquam jus suum quaesitum auferre potest, quia est administrator salutis singulorum & universorum, per privilegium jus quaesitum accepi, quis igitur credet, principem hoc ex beneplacito, nisi sub hac clausula datum sit, auferre posse. Et ideo in civitatem concessimus, ut secure quilibet eo fruatur, quod iuste sibi comparavit, si autem simpliciter imperantis voluntati res nostrae subiacerent, finis rerumpubl. everteretur.

§. XXII.

Irrogationes poenae ordinariae gravioris apud nos frequentantur, quibus quis majore, quam ex lege promeruit, poena afficitur, ut alii perterreantur & peccare dediscant, & utplurimum exercentur, si peccatum aliud quod valde frequentatur.

§. XIII.

Aggratiandi jus summus imperans semper habet, modo non nimis liberalis sit, ne LL. conculcentur & peccata ideo augeantur, neve aliorum invidiam contrahat;

D

har;

hat; nec summus imperans adhibeat iis in LL. quæ ab
 ejus arbitrio non dependent. Hinc quæstio agitatis-
 sima est, an in homicidio aggratiandi jus locum habeat?
 sunt, qui affirmant, sunt, qui negant. Omne momen-
 tum putant hic facere quæstionem an dentur LL. po-
 sitivæ universales, nec ne? Nolo hoc loco satis & maxi-
 ma contentione disputatam controversiam meam face-
 re, spero sine hac contentione rem ad liquidum deduce-
 re. Dictum *Gen. 9. §. 6.* est juris naturalis, conti-
 net in se jus talionis; nulla poena delicti æqualior est ea,
 quæ idem peridem punit. Ut hæc recte capiantur
 observandum, legem hanc esse hypotheticam, præsup-
 ponere superiores. Superior autem in irrogandis pœ-
 nis, æqualitatem observet necessum est, æqualitas autem
 pœnæ maxima conspicitur in talione, hinc & antiquis-
 simis temporibus & apud Judæos & apud Romanos fre-
 quentissima fuit. Inde & in civilibus retorsio frequen-
 tatur. Nec objectio valebit, si quis regerere velit, quod
 tunc temporis, cum hæc lex a Deo Noacho daretur, su-
 periores non adfuerint; Nam Noachus & pater & fa-
 milia suæ dominus erat, & vi posterioris characteris
 jus vitæ & necis exercere poterat. Nec contra nos ali-
 quid faciunt, qui, si lex naturalis fuisset, non neces-
 sum habuisset Deus, ut Noacho eam promulgaret, cum
 ex ratione jam cognosceretur, objiciunt. Sed divinum
 Numen plus simplici vice ejusmodi LL. naturales ex-
 presse promulgavit, ut plane nullam homines earum
 ignorantiam obtendere possint. Inprimis autem nunc
 hæc promulgatio erat pernecessaria, ne Noachi posteri
 credant, Deum illis etiam, ac Adami filiis legis gratiam dat-

daturum *Gen. IV. 15.* Tandem patet etiam ex exemplo Cainis, quod hæc lex naturales sit. Posteaquam hic occiderat fratrem et a Deo erat de peccato admonitus, inquit *Genes. V. 14.* quilibet, qui me inveniet, occidet. Unde sciebat Cain, quod ab hominibus iterum mortem exspectare teneatur nisi dictamen rationis, poenæ æqualitatem, indicasset. Tunc enim temporis uti ex sacris paginis adparet, lex de homicida occidendo nondum erat a Deo expresse promulgata, sed unice ex recta patefcebatur ratione. Historia etiam exemplum profert, in iis, qui surdi et muti natura sunt, et leges neque divinas neque humanas promulgatas aut legerunt aut audiverunt, quod ab hominum consortio auferunt, et deprehensi contremuerint de ejusmodi delicto conscii. Unde hic metus unde tremor, nisi ratio ipsis æqualitatem poenæ indicasset! exemplum legimus in diariis publicis de ejusmodi homine, qui paucos ante annos prope Helmstadium ejusmodi delictum commiserat, & maximi metus signa ediderat.

§. XXIV.

Progredimur nunc ad §. 8. *J. de J. N. G. & C.* De edictis namque prætorum, alibi, satis quod est, egimus. (a) Prudentibus silentium perpetuum imposuit Justinianus nec voluit, ut eorum responsa vim amplius legalem habeant, *L. 2. §. 21. C. de V. J. E. L. 3. §. 21 eod.* Hinc est ut & hodiernorum JCorum responsa nil probent nullam vim legalem habeant, 1) quia rarissime illis, neque a partibus statur, sed per adpellationem & leuterationem

D 2

tionem

a) In *Disp. de dist. jur. scripti & non scripti antiquitati restituta.*

tionem rescinduntur. 2) Si partes obligant, hoc non
provenit ex eorum vi legali, sed ex tacito consensu par-
tium, quæ per integrum decennium tacent, ut & ex
quasi contractu litis contestationis *L. 3. §. ii. ff. de pecul.
arg. L. 19. ff. de jurisdictione*, adde quæ eleganter habet
*Huber. prel. J. tit. de J. N. G. & C. n. ii. L. i. §. 6. C. de
V. J. E.*

§. XXV.

Nunc ad ductum §. 9. de consuetudine agendi locus
datur. Dedimus quidem pauca in jam *cit. Diff.* non-
nulla tamen addamus. Quodnam primum requisitum
consuetudinis sit, & quosnam effectus habeat consuetu-
do, valde controversum est. Et hæc confusio procul
dubio ex male intellectis LL. Rom. & ex confusione
status monarchici & Democratici profluxit. Hoc
certissimum principium est, neminem in Republ. neq.
expressè neq. tacite LL. ferre posse aut abrogare, nisi
summum Imperantem. Hinc rectè in Democratia Rom.
credebatur, quod, quia universus populus, expressè LL.
condere possit, eandem potestatem etiam, si tacite, per
contrariam consuetudinem vellet, haberet. *L. 32. ff. LL.
Imperatores* deinde, qui ad summitatem pervenerant,
pristinæ libertatis simulacra edebant, & plurima attri-
buebant populo in LL. ferendis, quæ sequioribus tem-
poribus simpliter deinde abnegabant, hinc evenit, ut &
sub Imperatoribus phrasæ occurrant, quæ consuetu-
dinis introductionem populo attribuunt, ut pristina
Rom. libertas quodammodo adhuc adumbraretur. *Hub.
prel. J. de J. N. G. & C. n. 7. ibique in Resp. ad schol.*
Quis

Quis igitur vitio vertet Justiniano quod more loquendi antiquo consuetudinem ab usu, & utentium consensu deriver. Nos meliora edocti, ab usu populi non deducimus consuetudinem, posteaquam, per simulacra libertatem adumbrare, necessum non est, & τὸ νόμιον penes summum imperantem resider, sed unice ad tacitam legislatoris voluntatem recurrimus, qua in re ex antiquioribus JCtis *Adamum Struvium*, Consummatissimum Jennisium Antecessorem, & ex hodiernis Thomasiū illustrissimum quondam Hallensium lumen, tanquam consentientes, honoris causa allegasse sufficet. Scimus equidem, quod male intellectæ LL. Romanæ, variis in provinciis a nobis discrepantia introduxerint statuta, quæ in iis provinciis, omnino pro lege sunt observanda. Habent tamen & in iis provinciis consuetudines pro norma quodammodo Legislatoris voluntatem tacitam quæ prædixit, ut tacitæ LL. valere iubeantur, quibus populi adplauderet usus. Ceterum quæ Thomasius confundit circa materiam de consuetudine paucis attingimus in sæpius cit. *Diss. de dist. juris scripti &c.* Nec est ut in præsentī dissertatione multus sim in refutandis vulgaribus opinibus, quippe quæ partim ex cit. *Diss.* partim ex jam dictis cernunt. Frequentia actus & diuturnitas usus nec non contradictorium iudicium, sunt saltem media quibus Legislatoris tacita voluntas probatur.

§. XXVI.

Si consuetudo ita est comparata, ut ex consensu Principis tacito sit introducta, omnem legis valorem



omnino habet, sin autem hic consensu deficit, in iis sal-
 tim causis valere potest, quæ nulla lege vel sunt
 introductæ vel prohibitæ, sicuti etiam in *cit. Dissert.* in-
 primis in notis *secunda edit.* adjectis pluribus demon-
 stravi.

§. XXVII.

Miror sane usum forensẽ, qui in omnibus sequi-
 tur placita Pontificia, & tamen in materia de consue-
 tudine ab eis recedit. Nunquam Pontifex rationi con-
 venientius quid statuit, quam in materia de consuetu-
 dine. Quodsi evolvimus *rov. dist. 11. & 12. ex omni-*
bis canonibus adparet quod hic legislator sacer nulli
 consuetudini valorem tribuat, quæ contra expressas le-
 ges decreta atque canones sit introducta, adde & *c. 3. seq.*
X. de consuetudin. Legislator enim, is inprimis, cujus
 Jurisdictio tam late patet, ac Pontificis, omnes actus
 moresque subditorum cogitos habere non potest, hinc
 facile, præter ejus voluntatem, usus subditorum quædam
 introducere possit, quæ ejus LL. persuadarent, Legis-
 latorisve auctoritatem prosternerent. Credo etiam,
 quod Rom., in LL. suis hanc Pontificis functionem re-
 ceperissent, vel si mavis, ita, ut Pontifices de consuetudi-
 ne cavissent, nisi inveterata Populi libertas vel frena
 injecisset vel eos seduxisset.

§. XXVIII.

Rationem tandem addit Justinianus in §. 10. cur
 Romani jura sua in scripta & non scripta dividerint; sc.
 a moribus Græcorum, quia Athenienses LL. suas solen-
 ni er

niter scripserint, Lacedæmonii vero eas memoriæ mandassent. Sed hæc Justiniani Philosophia paucissimis placeat, quia ex vulgari opinione scriptæ LL. sunt leges promulgatæ, sive in scripturam redactæ sint, sive non, non scriptæ LL. vero, sunt LL. non promulgatæ s. consuetudines. Hanc opinionem atque argumenta eo pertinentia refutata *vid. in allegat. Diss. de dist. Jur. script. & non script. &c.* Jam evolvam saltim, an Justinianus tam ineleganter philosophatus si, ac vulgo creditur. Primo observandum est, quod LL. Athæniensium semper ideo scriptæ vocentur, non quia sunt promulgatæ, sed quia solenniter sunt in scripturam redactæ. Addunt etiam Auctores, qua ratione sint scriptæ, sc. in tabulis ligneis hinc ἄζωας eas vocarunt, deinde, *ut a fine ver- sus superioris, fiat conversio ad initium sequentis, ea ratione qua in dianlo curritur*, seu ut Hefychius explicat, *ut regressus fecerint in scribendo instar boum arnatum*, hoc est ut unam lineam a dextra ad sinistram, alteram a sinistra ad dextram duxerint. Hinc sequentia de illis legis leguntur: *βαστοφῶδδ, ἥσαν οἱ ἄζωας καὶ οἱ κύβεις γυγαμ- μένοι. Axones & Cyrbes scripti sunt eo modo, quo convertuntur boves.* & Aeschines de Solone dicit. *διὰ μέλανος τῆς νόμῳ γέγραφε, atramento LL. scripsit.* Quia igitur a scriptura LL. scriptæ vocantur, necessum est, ut non scriptæ sint, quæ in scripturam non sunt redactæ, alias hæc divisio membra sibi invicem non opponeret, secundo si verum quod *οἱ νόμοι ἀγραφοί* consuetudines sint, sequeretur ut Lycurgus plane LL. non sanxerit, sed omnia æstimata sint ex usu populi. Quod contra omnem fidem historicam asseritur & maximam confusionem introduxisset in Republ. Tertio Aristoteles *L. 7. c. 2. polit. dicit.*

Lace-

Lacedæmone & in Creta omnis fere disciplina (παιδεία)
 omnisq. lex (και τὸ τῶν νόμων πλήθος) ad rem militarem com-
 parata est. Igitur LL. vocantur Lacedæmoniorum san-
 ctiones non vero consuetudines. Quarto, evolvantur
 omnia Lexica majora, semper ἀγῶνον est id quod in
 scripturam non est redactum. Quinto non divisio hæc
 solum, sed & vocum acceptio a Græcis & Justiniano est
 petenda, non a vulgari Dd. explicatione. Contrari-
 um vult Ill. Heineccius in *El. Inst. L. 1. tit. 2. §. 44. in not.*
 Sexto nos plane non dimovet Plato, qui LL. non scri-
 ptas pro consuetudine habet. Nam loquitur ut Philosophus,
 nos vero ut historici & JCri, nec in aprico est, an vocabulum
 ἴδη consuetudines, sicuti JCri eas explicant, significet, nec
 ne? Indicat sc. instituta majorum, Instituta majorum
 non statim sunt consuetudines, sed pacta, conventio-
 nes, imo statuta antiqua, quæ hodie saltem repetuntur,
 ne antiquam vero de novo promulgantur. Jus igitur
 γεγραμμένον και ἀγῶνον, apud Platonem idem esse potest,
 ac jus noviter promulgatum, & ab antiquis receptum,
 s. uti Justinianus in *proem. J. §. 1.* dicit, jus promulga-
 tum & compositum. Septimo Libanius, dum, Ly-
 curgum γράψαι νόμους adserit, etiam pro suo arbitrio lo-
 cutus est & ab eo, quod ut plurimum fit denominationem
 petiisse videtur. Regulariter autem & apud Ro-
 manos & apud Græcos LL. solenniter scribebantur &
 in tabulas incidebantur, inde tropice locutus est Libani-
 us, nec aliquid novi etiam in Jure R. est, quod JCri ex
 proprio arbitrio, ne utiquam ex stilo JCrorum loquan-
 tur. Est etiam probabile, quod, licet Lycurgus popu-
 lo

lo LL. in scriptis non ederet, sed ore promulgaret, ut memoria mandarent subditi, eas tamen privatim conscripserit, & in archivum retulerit, ut posteritas certo sciret, has leges ab eo esse promulgatas, quia alias traditio est inconcinnus modus & LL. promulgandi & conservandi. Octavo, licet Justinianus in rota hac re erraverit, quod tamen non concedo, ob jam dicta, tamen ex *b. §.* videmus, qua ratione voluerit, ut distinctio Juris scripti & non scripti explicetur, aut suo ævo explicata sit. Quanquam Justinianum saltem ut Legislatorem, ex libera voluntate, veneramus, non vero, ut historicum aut Logicum, tamen, etsi in rebus historicis hallucinatus sit aut Logicis, ejus mens est sequenda & res interpretanda prouti voluit, ejusve ævo moris fuerit.

§. XXIX.

Properamus nunc ad ult. §. cit. titul., ubi Imperator objecta Juris exponit. Quanquam unius disciplinæ unicum etiam objectum est, immo & ipsæ LL. pro objecto habeant actiones morales i. e. voluntatis hominum, voluit tamen Justinianus triplex objectum dare: Personarum sc. rerum & actionum forensium. Nec a nobis multum discedit. Nos laudamus objectum immediatum ille vero mediatum. Omnes enim actiones morales versantur vel circa statum personarum, unde jus personarum, vel circa jus rerum, quod in jus in re, ad rem, & possessionis dividi in *Diss. de possessione e jusre in re & ad rem eliminanda, quæ inter Jeneuses junctim edita prima est*, vel circa actiones forenses. Et

E

hæc

hæc est genuina hujus §. explicatio. Ab hac tamen recedunt Dd. hæud pauci, ex quibus unum allegasse sufficit, *Duaren. in Diss. annivers. L. 1. C. 55.* putantque non hæcce objecta separata esse, sed in omnibus partibus juris simul concurrere, exempli loco materiam de stipulationibus exponunt, ubi 1.) quæritur quis stipulari possit 2.) de quibus rebus 3.) quæ actio ex isto contractu oriatur, brevibusque rem ita expediunt. In omnibus negotiis jus dicitur personis de rebus per actiones. Hoc inventum Dd. novum non est, sed ipse Theophilus, Græcus Paraphrastes, ita cum illis sentit, sequentibus: *Hic ordo verissimus & rectissimus est. Quoniam ubi persone sunt, ibi & res existere in confesso est. Atque cum res existunt, tunc & de actionibus necesse est querere.* Miror quidem hocce hominum ingenium, sed in explicatione juris parum utilitatis adferre persuasus sum, quia totus nexus juris nostram opinionem firmat, & actiones ex jure personarum promanantes longe diversæ sunt ab actionibus, quæ ex jure rerum originem trahunt. Igitur pro uno objecto haberi non possunt, & licet jus personarum & rerum inutile sit, nisi simul explicentur actiones, tamen actiones separatim objectum constituunt ratione diversarum qualitatum atque distincti-
onum, quibus ista materia est referta, adeo ut separatam tractationem promereatur.

TANTVM!

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
IO. CHRISTOPH. HAEHNELIO

S. P. D.

PRAESES

Conscendis mecum Cathedram,
Doctissime Respondens, non
ex inclarefcendi pruritu, sed ut ex-
pleas studiosi diligentis partes. Hi
enim lectione et auscultatione con-
tenti non sunt, sed exercitationem
addunt, ut familiaria fiant ea, quæ au-
diuerunt, et magis confirmentur in
ve-

veritatibus, quas addidicerunt. Hinc
cum auscultatione, meditationem &
disputationem coniungunt. Gratu-
lor Tibi, mi Hæhneli, de specimine e-
gregio, deque conamine Tuo omni-
bus laudibus digno, Deumque pre-
cor, ut Tibi det Patronos, diligentiae
TVAE remuneratores largos. Vale
meque amare perge. Vitember. d.
xix Decembr. cix io cc xxxiii.

Quod nunc ostendis, cathedram dum schemate docto
Ascendis: Coeptum perbene cedat opus.
Perge ita: virtutis sic præmia digna campesles,
Sic fies Patriæ fida columna Tuæ.

Amore fratris sui dilectissimi adductus hæc pauca
adjicere voluit, debuitque

JOANNES GEORG. HAEHNELIVS, Opp.
LL. Stud. Dresd. Misnic.

Mein Freund! Dein Fleiß hat nun den grossen Berg bestiegen,
Zu dem Iulianian den schwersten Stein gelegt,
Drum solst Du auch den Schatz vor allen andern kriegen,
Den dieser güldne Berg auf seinen Gipfel trägt,
Das ist ein gutes Amt, so alles wieder bringet,
Was man von Jugend auf beyhm Studis verthan,
Wohl dem, dem es, wie Dir, in kurzer Zeit gelinget,
Daß er des Fleißes Frucht mit Freuden brechen kan,
Denn, das ist ganz gewiß der allergrößte Segen,
Vor die, so Tag und Nacht, in Themis Tempel stehn:
Daß sie durch saure Müß auf den gezeigten Wegen
Nach übergangnen Dorn auf sanftsten Rosen gehn,
Darüber freu ich mich, mein Freund, für andern allen,
Und lobe Deinen Fleiß, so End und Zweck erreicht,
Der Himmel lasse sich genädiglich gefallen,
Daß Dein gewisser Fuß, noch immer weiter steigt.

J. G. Munde/
LL. Stud.

Ingenii doctos docti, doctissime fructus,
Doctrinæ profers ac documenta TVAE;
Justitia doctus nunquam discedis arena
Victus, sed palmam Victor & ipse refers.
Exornet laura TE, VIR Doctissime, lauro,
Donaque laude TVA det TIBI digna Themis.

ad testificandam amicitiam, adjecit hocce
amicus decitissimus

HENR. SALOM. QVENTZEL
Stud. Jur.

S in Werthgeschätzter Freund, da sich Dein Fleiß will zeigen,
Und da Du unermüth willst auf die Spitze steigen,
Wo selbst Apollo sitzt, und Dir den Lorber reigt,
Was Wunder, wenn mein Herz sich auch erfreut bezeigt.
Deswegen will es Dir auch heute Wünsche streuen,
Nur nimm sie willig an, und laß sie Dich erfreuen.
Der Himmel lege Dir viel Weißheits-Gaben bey,
Daß auch der Jugend-Glanz damit verknüpfet sey,
So wollen wir Dich bald in Doctor-Huthe sehen,
So kannst Du Ehren-voll auf den Catheder gehen.

Hiermit wollte seine Ergebenheit gegen den Herrn Re-
spondenten an den Tag legen als Opponents

Carl Ludewig Siegert/

J. V. St. Dr. Misa.

S höchstbeglückter Freund, den selbst die Weißheit führt,
In Deissen Wesen man schon viele Klugheit spührt.
Dem Nahme wachse fort, bis zu den lichten Grängen,
Wo Sonn und Ewigkeit in einen Circul glänzen.
Darbey vergiß nicht den, ders redlich mit Dir meynet,
Und nicht längst worden ist, Dein rechter guter Freund.

Friedrich Augustus Fischer/ Oppon.

LL. St. Dr. Misa.

E tibi civiles ingens cognoscere leges
Juraque natura discere cura fuit.
Quid mirum est igitur si, Suavis Amice, laboris
Ostendis fructum non sine laude Tui.

Hæc Viro Juveni Nobiliss. atque Doctis-
simo JOH. CHRIST. HÆHN-
LIO amico suo ex affe dilecto scri-
bebat

FRIDERICVS Gottlob Fischer,

J. V. St. Dr. Misa.

*Scandere dum mens est, prædulcis amice, cathedram
Et specimen studii suppeditare Tui.
Latus ego volui reliquis hoc addere votis
Accipiat tandem præmia digna labor.*

boni ominis causa scribebat

David Gottwalt Fischer/
Stud. Jur. Dr. Misn.

Sahre fort in Deinem Fleiß, doch führe
mich mit an,
Daß ich, Geliebter Freund, Dir einsten
folgen kan.

also gratuliret in Eil

C. D. Krieg/ Dresd.
Stud. Jur.

Da sich Herr Häbnel ließ in *dispu-*
tiren hören,
Schrieb dieses wenige, ein treu und
ächter Freund:
Dein Fleiß gereiche Dir, zu Nutzen und
zu Ehren
So wird sich auch erfreun der's allzeit
ehrlich meint.

Johann Christoph Offenfelder/
Stud. Jur. Dresd. Misn.

Giß hieher hilfft Dir GOTT, er wird
Dich weiter bringen,
Denn, wenn der Führer führt, dem muß
es wohl gelingen.

Johann Friedrich John/

Dr. Mifn. LL. Stud.

Non est cujusvis Cathedram conscendere juris,
Quod HÆHNEL valeas, nobile das spe-
cimen.

Hoc iter ad metam cursus si tendere pergis,
Omnia lata dabit gratus Apollo TIBI.

Affectu plane fraterno Dom. Hæhnelio,
amico suo, hæc pauca adjicere
debuìt

SAM. GODOFRED. SPINHIRNERVS,

Stud. Jur. Dr. Mifn.




194
93
2871
179.10

6078





7



IO JURIDICA

QVA

NIANVS

DO JURE NA-

STINGVENDIS JV-

MVS ARTIFEX

ESIDE

3 STVRMIO

ET J. V. D.

AVDITORIO JCTORVM

CONSVETIS

BR. cl. l. CC XXXIII.

STITVR

A

NDENTE

IO RO HAEHNELIO

ESDENSI.

MBERGAE

SCHLOMACHIANA.

Stadtarchiv
Bathenow

10